D. T. O. M. F.

EXERCITATIONUM FEUDALIUM SECUNDA

De

DEFINITIONE ET DIVISIONIBUS FEUDORUM.

Quam

Authoritate & permiſſu Magnifici Ampliſſimorum JCtorum Ordinis in alma Leucorea

PRÆSIDE

Viro Ampliſſimo Conſultiſſimo & Excellentiſſimo

DN. GOTTFRIDO SUEVO,

J. U. D. & P. P. Celeberrimo, Patrono atq; Præceptore ſuo ſubmiſſè colendo.

Publicè defendet

JACOBUS Lüdeke/

Müling.

ad d. 29. Auguſti h. pomerid.

in Auditorio JCtorum.

WITTEBERGÆ,
E Calcographeo JOHANNIS HAKEN, M DC L.

1647

In Auditorio JC-torum aa d. Aug.

GRATIOSO SPIRITU DIRIGENTE

EXERCITATIONUM FEUDALIUM SECUNDA

De

DEFINITIONE, ET DIVISIONIBUS FEUDORUM.

PRÆSIDE

GOTTFRIDO SUEVO D. & P.P.

Reſpondente

JACOBO Lüdeken Müling.

ASSERTIO I.

De definitione feudi.

VEram feudi definitionem ſi traditam haberemus in toto Jure feudali, non eſſet ſane, ut in tam varias & contrarias partes, ſolliciti de juſta definitione, feudorum Interpretes abriperentur: Nunc, cum nullibi definitum, ſed craſſiore ſaltem modo, uti loquitur *Arum. diſſ. feud. 1. θ. 23.* non quid, ſed quale ſit feudum, deſcriptum reperiatur, in *c. un. 2. F. 23. in fin.* Inde nimirum enatæ ſunt, variantes illæ, circa genus feudi potiſſimum, definientium opiniones. Nos, omiſſis aliis, quas tamen vel per ſummum Indicem ſubjiciemus, definimus feudum, quod ſit: Jus alienâ re immobili aut æquipollente, ſub debito aut conditione fidei utendi fruendi; *cũ Schonero lib. 1. diſſ. feud. 1. θ. 1. Arum. d. diſſ. 1. θ 23.* à quâ definitione non diſcedunt, qui cùm *Vult. & Niell.* atq; aliis definiunt feudum, *quod ſit uſusfructus quidam*, quanquam nota hæc generi per ſe latiùs patenti, fruſtra adjici videatur, niſi ad Exemplum Imperatoris, Legatum definientis *in §. 1. Inſt. de Leg.* id fieri dixeris. Cæterum definitionem illam eo lubentius retineo, quod eandem placuiſſe videam *Dn. D. Jeremiæ Reuſnero, Ordinario noſtro, ac Seniori venerando, Dn. Collega, Compatri, atq; affini plurimum honorando in method. Juris Feud. diſſ. 1. θ. 52.* ipſa etiam definitio genere ſatis juſto conſtet, materiaq; & forma ab aliis juribus plenè diſcernatur; Non itaq; commode definiri exiſtimamus *per jus in re quadam*

1695.

cum Becero; genus enim nimis eſt remotum, & rectius in definitione noſtra additur, quale jus & quænam res ſit, ſcilicet, Jus utendi fruendi, & res immobilis aut æquipollens. Nec *per benevolam conceſſionem, cum Zaſ. Sonsb. &c.* aut *per beneficium cum Forcat., & aliis*: ſiquidem feudum ipſum non eſt beneficium, aut conceſſio, ſed jus, cōceſſione, & beneficio conſtitutum. *Nec per rem immobilem cum Duaren.* cum aliud res ſit, aliud jus in re conſtitutum; *Nec per Contractum cum Weſenb. Schrad. &c.* nam feudum per ſe non eſt cōtractꝰ (licet alibi ad Exemplum vocabuli pignoris, pro re & contractu feudali accipiatur *l. 1. in fin. D. de Pact. c. un. 2. F. 8. §. 1. c. un. 1. F. ult. c. un. 2. F. 13. in fin. pr.*) ſed conſtituitur per contractum, adeoq; differunt, ut cauſa & effectus. *Nec per clientelam militarem, cum Hotom.* quandoquidem non omnia feuda ob militaria officia, ſed ob alium quoq; uſum, imo & ſine ſervitiis concedi conſtat, ut ita definitio ſtrictior ſit ſuo definito. vid. *Vult. 1. de Feud. c. 2. n. 9.*

De diviſionibus feudorum.

II. E Variis feudorū diviſionibꝰ, illa merito ſūma eſt, ad quā omnia feudorū genera referri poſſunt, qua feudū aliud dicitur propriū, aliud impropriū, vel conditionatū, ſive rectum, vel non rectum, quas appellationes pro iisdem cum prioribus habent. *Schrad. Duar, Roſenth. Weſenb. Hattyſ.* quanquam & alia ſignificatione feudum rectum dicatur, quod juſtè acquiſitum, aut quod à Rege vel Capitaneis Regni conceſſum; non rectum contra, quod injuſtè poſſeſſum, aut ab inferioribus datum eſt *c. un. 2. F. 2. ibiq; Gothofr. c. un. 1. F. 1. §. fin.* Cumq; prima illa diviſio in Jure feudali ſatis ſit fundata, & proprium feudum dicatur, quod proprio Jure feudi cenſetur, ſive juxta communes feudorum Regulas conſtitutum, propriam & perpetuā feudi naturam retinet, das eines rechten Lehnguths eigenſchafft hat Improprium, quod non jure feudi judicatur, ſive à regulis & natura feudorum degenerat *c. un. 1. F. 1. § fin. c. un. 2. F. 2. §. fin. rubr. de conſuetud. rect. feud. rubr. de feudo non habent. propr. feud natur.* non audiendus eſt *Rittershuſ. in part. feud. c. 4. q. 1.* qui eam in dubium vocat, propterea, quod & teſtamentum minus rectè aliud juſtum dicatur, aliud injuſtum: Cū hoc non niſi homonymicè ſit teſtamentum. Nam teſtamentum injuſtum quidem prorſus non eſt teſtamentum, at feudum improprium, tamen eſt feudum, ſecundum acceptionē,

Feu-

Feudiſtæ in locis allegatis, neq; novum eſt, genus aliquod interdũ inæqualiter ſuis ſpeciebus accommodari, uni propriè, alteri impropriè. Et licet in dubio, feudum proprium intelligatur, ideo quod conſtituentes feudum, proprium potius & perfectum intenderint; attamen ſtatuta, de feudis generaliter concepta; ad impropria quoque feuda recte extenduntur, ſi ratio ſtatuti in feudis iisdem obtineat.

De feudo maſculino & fœminino

III. Feudũ maſculinũ dicimus Manlich oder manßlehn quod à maſculo, & fœmininũ Weiber oder gunckellehn quod à fœmina primitus fuit acquiſitũ *c. un. §. 3. 1. F. 1. c. un. 2. F. 30.* utrũq; à ſtipite ſuo & acquirente primo denominatur, non à dante, vel acquirentis ſucceſſore. Unde feudum fœmineum dici non poteſt, quod à fœmina datum eſt, nec in quo fœmina ſaltem ex pacto ſuccedit, cum à maſculo primùm fuerit acquiſitum *c. un. 2. F. 50. ibi, niſi ex pacto vel niſi ſit fœmineum.* Quanquam hæc poſterior acceptio feudi fœminini uſu ferme invaluerit; Feudum autem illud quod per maſculum & fœminam fuit acquiſitum, licet pro parte maſculinum, pro parte fœmininum, ita ut E. gr. ſolâ filia relictâ, hæc in ſola dimidia fœmininâ ſuccedat, & altera ad Dominum ejusdemq; hæredes devolvatur. *c. un. 2. F. 104. in fin.* adeoq; mixtum eſſe videatur, *Niell. diſp. feud. 1. th. 7 lit. A. Zabel. Exerc. feud. 2. th. 4. lit. d.* potius tamen eſt, ut retenta diviſione bimembri, à potentiore illud maſculinum appellemus *Arum. diſp. feud. 2. θ. 11.* ſicut & alias maſculinum in dubio præſumitur feudum, ſecundum naturam feudi, quæ in eo eſt, ut maſculi tantum ſuccedant. *Finckelth. diſp. Feud. 2. θ. 18.*

De feudo veteri & novo.

IV. Diviſionem feudi in novum & vetus agnoſcimus; non item ſubdiviſionem feudi veteris, in paternum, quod ſcilicet ab aſcendentium aliquo usq; ad quartum gradum incluſive, puta à patre, avo, proavo, abavo; *c. un. 1. F. 8. §. 1.* & antiquũ, quod ab aſcẽdentibus ultrà quartum gradum fuit acquiſitum, cum nullibi in Jure feudali paternum opponatur antiquo, Sed utrumq; pro eodem accipiatur *c. un. 1. F. 4. 12. 14. c. un. 2. F. 14. 15.* & paſſim; & paternum in genere ſit, quod à quocunq; ex ſuperioribus acquiſitum eſt *c. un. 2. F. 50.* ſicut aliàs & qui ſunt ſupra abavum, parentum nomine veniũt. Neq; differentia eſt inter appellationes illas Germanicas, Ein Vä-

1650

terlich/ altväterlich/ vhraltväterlich/ Stamlehn. Feudum novum Vaſallus ex ſuâ acquiſitione poſſidet per inveſtituram, & præſcriptionem: *c. un. 1. F. 8. §. fin. c. un. 2 F. 32.* quo etiam illud referimus, de quo, cum vetus, & aliàs per feloniam E. gr. à patre amiſſum eſſet, Dominus de novo filios inveſtivit *arg. c. un. 2. F. 48.* Feudum vetus Vaſallus ex ſucceſſione tenet, cum antea acquiſitum fuerit, vel ab aſcendentibus paternis, quod paternum, ſive antiquum dicitur vel maternis, quod maternum *c. un. 1. F. 15.* Mütterlich Lehn vel à fratribus aut agnatis quod fraternum vel collaterale vocat *Zabel. Exerc. feud. 2. th. 5.*

De ſucceſſione feudi novi & antiqui.

V. In Feudo novo tantum deſcendentes ſuccedunt *c. un. 1. F. 1. §. 2.* In antiquo, poſt deſcendentes, etiam collaterales *c. un. 2. F. 11.* Hi tamen effectus pacto vel tenore inveſtituræ mutari poſſunt; & concedi feudum novum Jure antiqui, ſive ut antiqui feudi naturam obtineat; als ein rechtes altes Stamlehn guth/ Sicut contra feudum antiquum Jure novi concedi poteſt, modo conſentiant agnati; His enim invitis Jus, quod non ab ultimo poſſeſſore, ſed à primo acquirente habent, auferendum non eſt. Dd. comm. quos allegat *Vult. 1. F. 8. n. 6. 7.* adde *Myuſ. cent. 3. obſ. 83. & ſeq.*

Novumne an vetus feudū præſumatur?

VI. Quæſtionem intricatam, An feudum in dubio præſumatur vetus an novum, commodiſſimè decidunt Feudiſtæ habito ad poſſeſſorem reſpectu *c. un. 2. F. 11. 2. F. 33. in f. c. un. 1. F. 12. c. un. 2 F. 26. pr. Vult. 1. F. 8. n. 8. Arum. d. f. 2. th. 48.* ita, ut, ſi Dominus aut ejus nomine alius poſſideat, tamdiu præſumatur novum eſſe; donec Vaſallus, qui tanquam Actor eſt, vetus eſſe probaverit, ſi Vaſallus poſſideat, vel ipſam partem controverſam, vel non hanc quidem, ſuam tamē partem, quam antea in feudo habuit, aut poſſideat, aut etiam alienaverit, juxta caſum in *c. un. §. cum autem 2. 1. F. 4. c. un. 1. F. 12.*: Vetꝰ eſſe feudum præſumitur, injunctâ Domino neceſſitate, ut probet, novum eſſe: Si neq; Dominus neq; vaſallus poſſideat, deficiente utrinq; poſſeſſionis commodo, par quidem utriusq; cauſa videtur, Unde Alciatus unicuiq; aſſerenti probationem incumbere, ait, *de præſumpt. Reg. 3. præſ. 28. n. 2.* Veriùs tamen & hoc caſu, favorem agnatorum prævalere, & vetus præſumi feudum, ut in familiâ & agnatione conſervetur: cum qui feudum novum dicit, factum ali-

quod

quod intendat, ſcil. Inveſtituram & conceſſionem, quod non præſumitur, ſed probatur; contra, qui vetus vel antiquum aſſerit; in eo ſe fundet, quod eſt de naturalibus feudi, ſcilicet, feudum ſe potiùs à majoribus accepiſſe per ſucceſſionem, quam de novo acquiſiviſſe; quæ præſumptio, uti proprior eſt, ita alteram, tanquam remotiorem, excludit, & poſſeſſionem vaſallo meretur interim, donec aliud probatum fuerit; Deficientibus porrò in probatione partibus, quomodo & quando, quo arbitrio, ad Juramenti delationes pervenire debeat Judex *vid. c. un. 2. F. 11. in fin. 2. F. 15. 2. F. 33.*

VII. Feudum Eccleſiaſticum & ſeculare, *non à perſona dantis* æſtimatur, quaſi Eccleſiaſticum ſit, quod à perſonâ Eccleſiaſticâ in bonis propriis conſtitutum eſt; improbatur enim hæc acceptio in *c. un. 2. F. 35.* ubi dicitur, talem inveſtituram Clerici implendam eſſe ab ejus ſucceſſore; quòd ſecus eſt, in inveſtiturâ Eccleſiaſticâ. *c. un. 1 F. 3 & 25. nec à perſonâ recipientis*, quaſi Eccleſiaſticum ſit, quod Eccleſiaſticæ perſonæ vel Eccleſiæ datum eſt; Nam ſeculare dicitur feudum, quòd Clericus à Domino ſeculari habet *c. ex transmiſſa 6. X. de for. comp. ſed à re tantùm vel Eccleſiaſticâ vel ſeculari* ita ut nequidem conjunctim cum Bocero & aliis ad feudum Eccleſiaſticum requiramus, & rem Eccleſiaſticam, & perſonam Eccleſiaſticam concedentem: (quanquam hoc caſu Krumſtabiſch Lehn dicatur. i.e. ab ijs datum, qui baculo incurvo, ad denotandam coarctatam Eccleſiaſticorum poteſtatem utuntur) quia & Dominus plebis feudū dat de rebus Eccleſiarum; ait Feudiſta *in c. un. 1. F. 6.* & beneficium Eccleſiaſticum Rex quoq; concedit, in re nimirum Eccleſiaſticâ. *c. un. 2. F. 40. §. 1.* ſi concedendi poteſtatem habeat. *Vult. 1. de feud. c. 8. n. 19. Hunn. in Tract. feud. c 6. Niell. diſp feud. 1. th. 8. in f.* Cœterum, vulgatum illud dicterium, Der Krumbſtab ſchleuſſt niemand auß/ inde ortum videtur, quod fœminæ ab Epiſcopis Prælatis, &c. facilius quam à Dominis ſecularibus, vel, quod ex conſuetudine Germaniæ, & Italiæ in Epiſcopatibus, Abbatiis, Præpoſituris admittantur: *Roſenth. de feud. c. 7. concl. 31. n. G.* non tamen eo usq; extendendum eſt, ut ejus vigore fœminæ regulariter in feudo Eccleſiaſtico ſuccedant, quin potius ob generalitatem *c. un. § 3. juncto pr. 1. F. 1.* eas à feudorum Eccleſiaſticorum ſucceſſio-

Quid ſit feudū Eccleſiaſticū & ſeculare.

1652.

ceſſione removemus, niſi aliter pacto, vel privilegio, vel cõſuetudine receptum ſit: *Roſenthal. d. loc. n.6. Finckelth. diſp. feud. 2. th.6.* contra, *Knich. de Veſtitur. pact. c.4. n.33. & ſeqq.*

De feudo Nobili & ignobili, Regali & non-Regali.

VIII. Cum Jus Nobilitandi à perſonâ concedentis dependeat, ipſa etiam Nobilitas, qualitas ſit, quæ perſonæ cohæret: Ideò feudum Nobile non poteſt dici, quod poſſeſſorem ſuum nobilitat, quaſi ipſi terræ qualitas hæc inhæreat, Nobilitando poſſidentem; ſicut & Experientia refragatur, Nobilem non eſſe, licet feudum Nobile habeat, unde poſſeſſores feudorum Nobilium & Regalium dicũtur, Innhaber deß Adelichen/Ritter ſitzes/Herrſchafft/Graffſchafft/Hertzogthumbs. nec feudum Nobile dicimus, quod ab eo datum eſt, qui Nobilitandi poteſtatem habet; ſic enim ſequetur; feuda à ſummo Principe data omnia eſſe nobilia, neq; feudum ignobile ab eo concedi poſſe, ſed quod ab eo datum eſt, qui & poteſtatem & voluntatem nobilitandi habuit, de quâ vel expreſsè conſtat ex literis inveſtituræ, vel præſumptive, puta ſi in ſpecie de Ducatu E.gr. tãquã feudo Regali inveſtitꝰ qvis fuerit, *c. un. 2 F. 10.* idq; non tàm ob rem in feudum conceſſam, quam ob præſumptam voluntatem Principis, dignitatem ſive Nobilitatem hanc, iſto quaſi ſymbolo, conferentis; *vid. poſt alios Vult. lib. 1. Feud. c. 8. n. 9.* Deficiente alterutro, vel voluntate Nobilitandi vel poteſtate, feudum ignobile cõſtitutũ dicitur. Vult. ibid. Nobile feudũ vel Regale eſt vel non Regale; *c. un. 1. F. 10. rubr. de Feud. March. &c.* Illud cum Regali dignitate conjunctum eſt, & exercitio poteſtatis quaſi Regiæ in terris feudorum; qualia Electoratus, Ducatus, Marchionatus, Comitatus, Baronatus; Hoc dignitatem habet Regali inferiorem; Illud, Reichßlehn/à Summò Principe, vel ejus autoritate conceditur; non item à Vicariis Imperij, ſive ſit Fahnlehn/id eſt feudum per inſigne vexilli olim, hodiè enſis. *Arum. de Comit. c.3. n.55.* conceſſum Vaſallis Politicis. *A.B. tit.5.* ſive Scepterlehn; Vaſallis Eccleſiaſticis per Sceptrum datum; *vid. Landr. lib.3. art.43.* idq; ob rationis, quæ in reſervato iſtò utrobiq; militat, identitatem. Non-Regale feudum, vel Princeps, vel alius qui poteſtatem habet, concedit. *vid. c. un. 1. F. 10.*

IX. In

IX. In feudo propriè Ligio, (juxta commentitiam acceptionem Feudiſtarum, præter autoritatem Juris feudalis) Vaſallus fidelitatem Domino, Principi ſummo præſtat, adverſus omnes, honeſtate tamen ſalvâ, nullo excepto, niſi ſolo DEO; wolle ſich gebrauchen laſſen / gegen männiglich / niemand außgeſchloſſen. In feudo impropriè & reſpectivè ligio fidem præſtat Domino, inferiori etiam Principi, adverſus omnes, ſolo Imperatore excepto; Pontificē enim Romanum non excipimus; non obſtante capitulo illo *100. lib. 2. feud.* quod, ut extraordinarium, nec autoritatē per ſe habet, nec ſi haberet, contra Jus divinum, quicquam operari poſſet: Impropriè ligius vaſallus duorum eſſe poteſt, ut & non ligius; aut uni ligius, alteri non ligius; Propriè autem & abſolutè ligius tantū unius eſt, non duorum; repugnat enim Naturæ hujus feudi; Juratur uni adverſus omnes, Ergò cœteri omnes excluduntur; At ex poſt facto, puta ſi ligius Regni Galliæ, ligio Regni Angliæ ſuccedat, eiq; gratia fiat per ſubſtitutum ſerviendi, annon ita duorum Dominorum vaſallus Ligius eſſe poterit? Negamus, rectè conſiderata feudi Ligij naturâ. Nam prior ligius juravit adverſus omnes, & ſic etiam adverſus poſteriores; In priore Juramento nullum excepit niſi DEUM; In poſteriore, alium excipit, ſcil. Dominum illum ligium. *Diſſ. Roſenthal. c. 2. concl. 4. Vult. 1. F. c. 8. n. 31.* Cœterum aliquem & Ligium Imperatoris, & alteriùs Principis Imperii, quoad certa bona ſubditum & Landſaſſium eſſe, nihil prohibet. *Gothofr. Ant. diſp. feud. j. th. 3. lit. B. adde Gail. de Areſt. c. 6.*

De feudo Ligio & non-Ligio.

X. Diviſionem feudi in hæreditarium (tum abſolutè tale, tùm mixtum *Vult. j. F. 8. n. 30.*) & ex pacto & providentiâ, non ut fundatā in Jure feudali, ſed uſu practico radicatam retinemus. Hæreditarium pro ſe & hæredibus; alß ein Erblehn / für ſich vnd ſeine Erben. Ex pacto & providentiâ, pro ſe & filiis; pro ſe & liberis, deſcendentibus, familiâ, pro ſe & heredibus maſculis; als ein Mannlehn / für ſich vnd ſeine Männliche / Ehelichgebohrne Leibes Lehns Erben / conceditur. In illo ſucceditur Jure hæreditario ſecundum Jus commune, in hoc Jure ſanguinis ſecundum providentiam Juris feudalis. *Vult. 1. F. c. 8. n. 26.* Unde patet, feudum hæreditarium, utpote ſecundam Regulas Juris feudalis non conſtitutum, impro-

De feudo hæreditario, & ex pacto & providentiâ.

prium

1654.

prium eſſe. Quod ſi ex literis Inveſtituræ non appareat, ſit ne hæreditarium, an ex pacto & providentiâ? pro hoc poſteriore, tanquam pro naturâ feudorum communi potius, quâm pro alterante pacto inveſtituræ, quod facti eſt, præſumendum erit. vid. prolixè *Hartm. Piſt. lib. 2. q. 1. Vult. 1. F. 8. n. 23. & ſeqq.* Sicut & ex pacto & providentiâ feudum intelligitur, ſi ſimpliciter, absq; ulla mentione liberorum aut hæredum facta, datum ſit; *H. Piſt. d. l. n. 22. Vult. d. c. 8. n. 32.* quod feudum informe dicunt; *vid. Roſenthal. de feud. c. 2. concl. 50.* ubi tamen ipſe, feudum hoc pro hæreditario habendum eſſe concludit.

Sunt & aliæ feudorum diviſiones, dividui & individui, temporalis & perpetui, univerſalis & ſingularis, corporalis & incorporalis, Francici & Longobardici, in curte & extra curtem; quod vel in territorio Domini, vel in alieno, in quo prædium habuit Dominus, conſtitutum eſt. *arg. c. un. 1. F. 5. c. un. 2. F. 51.* contra Vultejum, qui inde definit, quatenus res feudalis vel à Domino retinetur; vel ad Vaſallum tranſit; cui obſtat *c. un. 1. F. 4. § ſi quis de manſo.* Verùm de his, ut & impropriis feudis, qualia, feudum fœmineum, hæreditarium, rei mobilis, emptum, pignoratitium; Francum, non juratum, temporarium, alienabile; penſionatium, laudemienſe; feudum Cameræ, Cavenæ, Soldatæ, habitationis, guardiæ, gaſtaldiæ, Advocatiæ, Cancellariatus, Burgenſaticum, reddibile, vulgò, ein offen Hauß, feudum ſine inveſtiturâ, Quaternatum, de tabulâ, &c. videndi ſunt Feudiſtæ, cumprimis *Roſenthal. de feud. c. 2.*

F I N I S.

COROLLARIA.

1. *An Moguntinus ex eo, quod convocare ad Electionem Electores habet, jus aliquod in ipſos vendicare ſibi poſſit?*

Vacante Imperij ſede, Archiepiſcopo Moguntino, ut Collegij Electoralis Decano (ſic enim Henricus ſe ipſum in epiſtolâ quadam Electorum, ad Benedictum XII. Pontificem exarata appellavit, *Arum. diſc. 1 q. 23.*) officium electionem intimandi vigore *A. B. c. 1. §. 18.* incumbit, idq; ideo quod hoc convocandi jus ipſi ab antiquo competierit *c. 4. §. 2.* quod ipſum tamen non adeo expeditum, cum eandem poteſtatem & Palatinum olim Rheni exercuiſſe Cuſpinianus in vita Caroli, alijq; velint *Beck. Synopſ. Jur. Publ. l. 1. c. 4. n. 2.* quibus tamen ſatisfacit *Arum. d. l.* ut verum maneat, ab antiquis jam longè temporibus Moguntinenſem hanc habuiſſe poteſtatem. Juſto verô longiores ipſo neſciente moras, proprio motu pro fidei ſuæ, qua ſacro ſunt obſtricti imperio, conveniunt Electores. *A. B. c. 1 §. 19.* Cum itaq; aliud longe ſit rogare, aliud verò ad conventus cogere, nullum exinde in reliquos Moguntino competere jus ſatis, opinor, apparet. *Arum. d. l. Dn. Carpz. diſp. F. 1. q. ad A. B. 3.*

2. *An in caſu non exiſtentis Epiſcopi Capitulum ad Collegium Electorale admittatur?*

Cum Capitulum idem quod Epiſcopus poſſit *c. un. de Maj. & Ob. in 6.* omnisq; epiſcopalis poteſtas penes Capitulum reſideat. *Gail. 1. obſ. 30. n. 10.* admittendum illud eſſe, non nemini videri poſſet. Verum cum privilegiû hoc perſonale ſit eiq; ſoli qui ad ſedem legitime eſt adſcitus competat. *Dn. Carpz. d. d. 1. q. 3. Arum. d. l.* imò proprie loquendo Archiepiſcopus tanquam ſummam dignitatem habens, non ſit de Capitulo, ut quod ſoli conſtituunt Canonici *Arum. d. l.* negativam veriorem eſſe dicimus. Unde in conventu, Anno 1562. pro eligendo Romanorum Rege inſtituto, noluere progredi Domini Eligentes, donec Johanni Gerhardo Colonienſi, ſub ipſo conventus tempore vitam cum morte cômutanti alius ſubſtitueretur Elector. *Dn. Carpz. d. l.*

3. *An Electores Eccleſiaſtici, antequam à Pontifice infulati, jure hoc votandi & eligendi gaudeant?*

Heinricum V. per Transactionem à Papâ Calixto II. extortam jus Epiſcopos de dignitatibus inveſtiendi Pontifici conceſſiſſe, ſibi vero inveſtituram de regalibus, per ſceptrum quæ fit, reſervaſſe ap. *Cranz. l. 5. Saxon. c. 42.* eſt. Tranſactioni huic acceſſêre pacta inter Frid. III. & Nicolaum V. Papam Anno 1447. inita (concordata Germaniæ quæ vocant) quibus cautum expreſſe eſt ne

1656.

eſt, ne Eccleſiaſticis Regalia ab Imperatoribus aliter, quam confirmatis à Pontifice & infulatis, concedi debeant, quæ ipſi in [illegible] caſtra facillime perducere non neminem poſſent. Verum cum jus hic eligendi, ipſi non ut Eccleſiaſtici, ſed ut Imperii Principes habeant, quo nomine non ſemel in A. B. indigitantur, jure hoc gaudere eos, electionis, licet nondum infulatos intereſſe poſſe, cum *Ott. de Jur. Publ. c. 10. Limn. l. 3. c. 9. n. 40.* aliisq; ſtatuimus adſtipulante nobis ipſa obſervantia quotidiana.

4. *Sed quid ſi nondum ab Imperatore fuerint inveſtiti?*

Et ſecularium quidem ſucceſſores cum principatus illi, quibus jus hoc, & alia regalia inſeparabiliter ſunt annexa, ſtatim poſt apprehenſam poſſeſſionē ipſis cedant, utpote per primam inveſtituram à primo acquirente acquiſiti, quin, licet nondum impetratâ inveſtiturâ, jus hoc habeant, minus eſt dubii, adjuvante ſententiam noſtram diſpoſitione ipſius *A. B. c. 7. § 1.* De Eccleſiaſticis vero ob verba formulæ juramenti inſertæ *A. B. c. 2. (per fidem qua Deo & Sacro Romano Imperio ſum adſtrictus)* dubitatur; Fides enim ſe nonnulli volunt, quod fidelitas, quâ communiter ea, quam Domino Vaſallus præſtat, ſignificatur, *Vult. 1. F. c. 6. n. 3.* Illam autem antequam inveſtiatur, non videtur debere Vaſallus; dicendum itaq; omnino videri poſſet ipſos non niſi inveſtitos ad Electionem eſſe admittendos, cum alias formula præſcripta juramenti in eos quadrare minime poſſit, quam tamen Glorioſiſſimus Conſtituens præſcripſit. Verum contrariam ſententiam cum uſus & praxis approbet, & nos defendemus. Poſito enim ſed non conceſſo, Auream Bullam de fidelitatis juramento loqui, reſponderi tamen poteſt, ipſam quemadmodum & alias leges loqui de iis quæ ut plurimum fiunt, *l. 3. D. de LL.* nec exinde concludi ad excluſionem alterius, quod ipſum quoq; velle videtur vocula *Vulgariter vid. Limn. l. 3. c. 7. n. 5. 6. 7. Ott. de J. Publ. c. 10.*

5. *An Elector impedimento detentus Legatum inſtruere poſſit ad certam perſonam eligendam?*

Cum magna Imperia nunquam ſoleant eſſe otioſa, ideoq; Electores, quo minus ipſi venire poſſint, impediti, procuratorem mittere non prohibentur, [illegible] 1 §. audi ſi [illegible] qui tamen plenum ac ſufficiens mandatum neceſſe eſt habeat, qualiter [illegible] 9. deſcribitur. Hoc vero ad certam perſonam eligendam [illegible] minime ſit, tum, quod plenam atq; omnimodam poteſtatem procurator ille habere debeat [illegible] audi ſi [illegible] quod non [illegible]

[illegible] vota colligenda ſint. *Carol. von hagen [illegible] Wurmſ. de Jur. Publ. [illegible]*